


sentent. l. 1. d. 11. Alexander Alensis part. 3. q. 69. membr. 5. & quidam alii, Symbolum, quod canitur in Ecclesia, vocant Nicænum, cum tamén certum sit esse Constantinopolitanum. De additione hujus vocis Filioque dicam infra.



DISSERTATIO II.

DE PROCESSIONIBUS DIVINARUM PERSONARUM.

Div. Thom. Quæst. 27.

Cum SS. Trinitatis mysterium, ut ex dictis in precedenti Dissertatione constat, consistat in tribus Personis ejusdem, & individue naturæ divinæ; Personæ autem constituantur relationibus, & relationes fundentur in processionibus, idè cum Athore dicemus. 1. De Processionibus. 2. De Relationibus. 3. De Personis.

ARTICULUS I.

Utrum in Divinis sint Processiones?

Processio ut sic nihil est aliud, quam origo unius ab alio. Undè Processio in divinis est unius personæ ab altera, vel a duabus origo.

Processionem in divinis diversi modè acceperunt. (Hic q. 27. art. 1. a.) Quidam secundum quod effectus procedit a causa; & sic accepit Arius, dicens Filium procedere a Patre sicut primam causam creaturam, & Spiritum S. procedere a Patre, & Filio sicut creaturam utriusque: & secundum hoc neque Filius, neque Spiritus S. esset verus Deus. Alii hanc processionem acceperunt, secundum quod causa dicitur procedere in effectum, in quantum vel movet ipsum, vel similitudinem suam imprimi ipsi: & sic accepit Sabellius, dicens ipsum Deum Patrem dici Filium, secundum quod carnem assumpsit ex Virgine, & eundem dici Spiritum S. secundum quod creaturam rationalem sanctificat, & ad vitam movet: & secundum hoc una est tantum persona in Deo. Hanc utramque hæresim impugnativus præcedenti Dissertatione.

Si quis autem diligenter consideret, uterque accepit processionem, secundum quod est aliquid extrinsecum: unde neuter possit processionem in ipso Deo. Sed, cum omnis processio sit secundum aliquam actionem, sicut secundum actionem, quæ tendit in exteriorem materiam, est aliqua processio ad extrinsecum: ita secundum actionem, quæ manet in ipso agente, attenditur processio quædam ad intrinsecum: & de ea quæritur hic, an detur in Deo. (Ibid.)

Dico: Sunt in Deo Processiones ad intrinsecum. (Ibid.)

Prob. 1. ex Scripturis. Joann. 8. Christus ipse de se loquens dicit: Ego ex Deo processi. Eocli. 24. Ex ore Altissimi prodierunt. Joann. 5. de Spiritu S. Cum autem venerit Paracletus, quem mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. Probatur insuper iis omnibus Scripturæ locis, & Patrum testimoniiis, quibus probavimus Filii, & Spiritus S. divinitatem, quam sibi communicaram non habent nisi via processionis.

Prob. 2. ex Symbolis Fidei. In Nicæno-Constantinopolitano de Filio habetur: Ex Patre natum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; & de Spiritu S. Qui ex Patre procedit. In Symbolo quod dicitur Athanasii: Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus S. a Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Prob. 3. Ratione Theologica (Infra quæst. 33. art. 4. ad 4.) De fide est, dari in Deo plures personas realiter distinctas in eadem numero natura: ergo sunt in Deo processionis. Prob. Conseq. Si in Deo non essent processionis, non esset oppositio relativa originis, cessante oppositioe relativa originis non possent plures personæ distingui nisi diversitate naturæ: ergo. De hæ ratione iterum infra, dum de processione Spiritus S. contra Scotistas.

Hæc Ecclesiæ fide supposita, proponuntur quædam rationes congruentes. Prima petitur ex divinæ naturæ fecunditate. Hæc enim, cum sit summa perfectio, non videtur Deo deneganda: unde Isai. 66. Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus; si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero? Hanc congruentiam urgent S. Athanas. Orat. 2. contr. Arian. S. Cyrillus l. 5. Thesauri, & alii.

Altera est Authoris (Hic art. 1. a.) Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intrinsecum ipsum, quod est conceptio rei intellectæ ex vi intellectiva proveniens, & ex ejus notitia procedens, quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis significatum verbo vocis; atqui

Deus est perfectissimus intelligens: ergo.

Hæc autem ratio S. Thomæ, quam multi impugnant, non sic accipienda est, quasi in omni intellectione producatur verbum; Filius namque, & Spiritus S. intelligunt, & tamén non producant verbum. Item Beati secundum nos absque verbo cognoscunt Deum, sed alio triplici sensu verificari potest hoc S. Thomæ principium. 1. Ut in omni intellectione connaturali proprii objecti producatur verbum. Filius equidem in divinis intelligit intellectione connaturali, & tamén non producit verbum, quia unius intellectio est unum verbum, quando est adequatum: intellectio autem, qua Filius intelligit, est ipsa eadem intellectio, qua Pater intelligit, & ipse Filius, utpote infinitus, est verbum adequatum hujus intellectiois, quam idè omnino exhaurit; sicque non restat aliud verbum producendum. 2. Ut quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, id est, ex hoc ipso quod est intellectualis naturæ, in aliqua sua intellectione producat verbum. 3. Juxta Joann. a S. Thoma sensus est, quod quicumque intelligens, qui producit verbum, illud producat ex eo quod intelligat, ita ut ratio, cur verbum producatur, dum producitur, est vis, seu ratio intelligendi, quia sibi interior loqui, manifestare, exprimere conceptum, quod est producere verbum, provenit ex vi, & perfectione intelligendi. Quovis sensu intelligatur, stat congruentia S. Thomæ in hoc sita, quod producere verbum sit proprium naturæ intelligentis, sitque secundum se perfectio, quæ depurari potest ab imperfectionibus, quibus sorescit in creaturis: ergo congruum est illam adscribere Deo summe intelligenti. Si dicas, in creatis produci verbum ex indigentia, ut nempe id, quod est intelligibile in actu primo, fiat intellectum in actu. 2. Deum autem esse intellectum in actu. 2. Et idè diximus in præcedenti Tract. Beatos non producere verbum in visione beatifica. R. Verbum in creatis habere duo munia, primum, quod assignatur in argumento; secundum intelligenti manifestare, & loqui rem intellectam, quod pertinet ad perfectionem intellectus; & hoc modo procedit verbum in Deo, non ex indigentia, sed ex fecunditate, seu ut dicit Aug. ex intelligentia. Quod additur de Beatis; non solum propter hæc rationem negavimus verbum produci in visione beatifica, sed etiam quia objectum infinitum non potest quidditative cognosci per verbum, seu speciem creatam.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Omnis processio involvit imperfectionem: ergo. Prob. Ant. 1. Procedens est diversum ab eo, a quo procedit. 2. Ab illo dependet, cum sine illo esse non possit. 3. Est ipso posterior. 4. Est passivæ, & indigentis naturæ, cum ab illo accipiat: ergo.

R. D. Ant. omnis processio in creatis imperfectionem involvit, transeat; in divinis, N. longè quippè est alia ratio divinatorum, & creatorum; in infinitum enim distant, unde, cum de divinis agitur, attendenda est mens, & ab omnibus creatis abstrahenda, Itaque

Ad 1. cum D. Thom. (Ibid. ad 2.) D. Procedens processionem ad extrinsecum est diversum ab eo, a quo procedit, C. procedens processionem ad intrinsecum, subd. in creatis, C. in divinis, subd. iterum: est diversum, quantum ad personam, C. quantum ad naturam, N. quia, quod procedit ad intrinsecum processum intelligibili, quanto perfectius procedit, tanto magis est unum cum eo, a quo procedit; manifestum est enim, quod quanto magis aliquid intelligitur, tanto verbum, seu conceptio intellectualis est magis intima, & magis unum; nam intellectus secundum hoc, quod actu intelligit, secundum hoc fit magis unum cum intellectu. Undè, cum divinum intelligere sit infinitæ perfectionis, necesse est, quod Verbum divinum sit perfectè unum cum eo, a quo procedit, absque ulla diversitate in natura. Et quavis non sit eadem ratio de Spiritu S. qui procedit a voluntate per modum amoris, & impulsus; hoc ipso tamén quod procedit ut quid Deo immanens, est idem natura, quia omne, quod est in Deo, Deus est.

Si dicas, ex hæc D. Thom. responsione sequi, quod Verbum

ARTICULUS II.

Quodnam sit principium quo proximum divinarum Processionum?

aeque etiam ut persona distincta procedat. R. D. non procedit ut persona distincta vi processionis, ut intelligibilis, C. vi processionis, ut realis, N. cum itaque processus, ut intelligibilis sit assimilativus, petit unitatem numericam cum objecto; unde, si sit perfectissimus intellectus petit perfectissimam unitatem, quæ est in substantia. Idè tamén non destruit diversitas personarum, quæ est tantum relativa, & ex processione quatenus est realis, quia processus quæ realis petit extrema realiter distincta, saltè quoad modum esseadi. Undè ex ipsa processione sub diversa consideratione oritur & consubstantialitas Verbi, & personarum distinctio.

Ad 2. N. procedens in divinis pendere a producente, sive quantum ad naturam, sive quantum ad personam. Non quantum ad naturam; quia est eadem numero procedentis, & producentis. Neque quantum ad personam; quia procedens non procedit ab altera ut a causa, sed ut a principio, neque ex voluntate libera, sed ex necessitate naturæ ob infinitam ejus perfectionem, qua fit, ut Pater intelligendo non possit non producere Verbum, & Pater, & Filius sese amando non possint non producere Spiritum S. Ad probationem N. Conseq. quia ad dependentiam aliud requiritur, quam quod unum non possit esse sine alio: nam Pater non potest magis esse sine Filio, quam Filius sine Patre, & tamén Pater non dicitur dependens a Filio. Item omnipotentia non potest esse sine possibilitate creaturæ, & tamén ab illis non dependet.

Ad 3. quidam Theologi nullam admittunt in divinis prioritatem, aut posterioritatem, sed tantum ordiæm processionis: alii admittunt prioritatem, non quidem causalitatis, aut durationis, tres enim personæ sunt simul ab æterno, sed prioritatem originis tantum, quæ non importat imperfectionem.

Ad 4. N. Ant. Personæ enim procedentes in divinis nunquam caruerunt, aut carere poterunt eo, quod habent: quod autem nunquam caruit, aut carere potuit eo, quod habet, non censetur passivæ, & indigentis naturæ.

Obj. 2. Quælibet persona in Deo est Deus; atqui Deo repugnat esse, seu procedere ab alio: ergo. Prob. Min. Deus est ens a se; atqui ens a se repugnat esse ab alio: ergo. R. N. Min. ad probat. D. Maj. Deus est ens a se ratione naturæ, C. ratione personæ, subd. Est ens a se a seitate excludente omnem causalitatem, & dependentiam ab alio, C. a seitate excludente principium originis, N. Subsumes; atqui juxta doctrinam traditam Deus est & procedit ab alio ratione naturæ: ergo. Prob. subsumptum: natura filii v. gr. ipsi communicatur a Patre: ergo est, & procedit a Patre. R. N. Subsumptum. Ad probationem N. Conseq. Quavis enim natura dicitur communicari Filio a Patre, non potest tamén dici esse & procedere ab illo, quia est una numero in Patre, & Filio, quæ nec generat, nec generatur; processio autem exigit distinctionem inter procedens, & producentis. Inst. Quælibet persona est ens a se a seitate excludente principium originis: ergo. Prob. Ant. Quælibet persona est primum principium: ergo. R. N. Ant. ad probationem D. Ant. Quælibet persona est primum principium ad extra, seu respectu creaturarum, C. ad intrinsecum, N. sic enim solus Pater est ingenitus, & improductus.

Obj. 3. Hoc est discrimen inter actionem immanentem, & transeuntem, quod hæc habeat terminum productum, non illa, ut dicit Philosophia; atqui in divinis non est ad intrinsecum actio immanens: ergo. R. N. Maj. Discrimen enim inter utramque actionem non est præcisè, quod transiens habeat terminum, & immanens non habeat, sed quod transiens habeat necessariò terminum, & eum tanquam finem, propter quem fit actio: immanens autem, etsi non habeat necessariò terminum, possit tamén habere, & talem qui non sit ejus finis propter quem, sed e contra, qui sit propter actionem; & sic est in divinis: intellectio namque non est propter Verbum, seu potius Verbum propter intellectioem, ut in eo intellecto contempletur objectum.

Petes, quare, cum Filius, & Spiritus S. a Patre procedant, emanationis Spiritus S. adapteur processio potius, quam Filii? R. Id esse propter vocabulorum inopiam. (Hic art. 4. ad 3. & in 1. d. 11. art. 3.) Cum enim Deum nominare non possimus nisi ex creaturis, & invenitur in creaturis aliquid subsistentis procedere per modum naturæ, quod dicimus generari; hinc processio Filii, quæ est per modum naturæ, dicta est generatio. Quia verò in creatis nihil videmus subsistentis procedere per modum amoris, fit ut processio Spiritus S. quæ est per amorem, manserit, sine nomine, & communil nomine processionis appelleretur; posset tamén nominari spiratio, quia est processio Spiritus.

Suppono 1. principium quod divinarum processionum esse personam Patris, & Filii, Patris respectu Filii, Patris, & Filii respectu Spiritus S. quia, quod procedit realiter, debet realiter distingui a producente; nihil enim producit se ipsum, nulla autem est in divinis realis distinctio nisi inter personas. Suppono 2. principium quo saltè remotum, & primordiale esse naturam divinam; quia est id, in quo genitum assimilatur, & convenit cum generante: intellige tamén de natura ut modificata relationibus, sicut dicam modo de principio proximo quo. In hæc duplici suppositione convenient Theologi; sed disserunt in assignando principio proximo, quo natura producit Filium, & Spiritum S.

Durandus docuit, esse ipsam divinam naturam, non ut intelligentem, aut volentem, sed etiam ut præintellectam intellectui, & voluntati; ita ut, præcisè per mentem intellectum, & voluntatem, Filius, & Spiritus S. nihilominus censerentur procedere. Quidam dixerunt, solas relationes esse principium quo immediatum divinarum processionum; & hæc sententia tribuitur S. Bonaventuræ, & aliis. Alii Theologi communiter assignant pro principio proximo divinarum processionum intellectum, & voluntatem: sed, quia intellectus, & voluntas sunt communes tribus Personis, assignanda est ratio, cur intellectus in Patre generet, & non in Filio, cur voluntas in Patre, & Filio spirat & non in Spiritu S. unde dicunt, intellectum in Patre generare, quia modificatur relatione paternitatis, non in Filio; voluntatem in Patre, & Filio spirare, quia modificatur relatione spirationis activæ, non in Spiritu S. Quid sit autem isti actus intellectus, & voluntatis productivi, qui dicuntur rationales, dicam art. seq.

Dico cum D. Thom. (Hic per tot. Q. 27. Q. 10. de pot. art. 4. cap. 9. cap. 11. & in 1. d. 7. & 13.) principium quo proximum immediatum divinarum processionum non est natura divina præintellecta intellectui, & voluntati, sed sunt ipse intellectus, & ipsa voluntas, non præcisè secundum se, sed modificati relationibus paternitatis, & spirationis activæ; (Hic q. 41. art. 5. o. & q. 2. de pot. art. 2. ad 5.) ita ut principium quo proximum divinarum processionum non solum importet quid absolutum, scilicet intellectum, & voluntatem, sed etiam relationes, non tamén ut principia, sed ut conditiones, & modos dumtaxat.

Prob. 1. & 2. pars. 1. Ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. definitioe contra Abbatem Joachim sic: *Et illa res (scilicet natura divina) non est generans, neque genita, neque procedens, sed est Pater qui generat, & Filius qui gignitur, & Spiritus S. qui procedit.* 2. Juxta Scripturam, & Patres, Filius est Verbum, & Spiritus S. est amor, & dilectio; atqui Verbum est immediatè ab intellectu, & amor a voluntate: ergo. 3. Essentia non operatur immediatè per se, sed per suas facultates, quæ sunt in Deo intellectus & voluntas: ergo. 4. Pater gignit Filium, spirat cum Filio Spiritum S. per actus vitales immanentes; atqui in Deo non sunt alii actus vitales immanentes quam intellectus & voluntas: ergo. 5. Et præcipue: juxta sententiam Durandi explicari non possunt præcipua capita Mysteriorum SS. Trinitatis, quæ commodè juxta sententiam nostram explicantur: ergo. Prob. Ant. Si natura divina, ut præintellecta intellectui & voluntati sit principium immediatum, quo procedunt Filius & Spiritus S. non potest assignari ratio 1. cur Filius dicatur Verbum & Spiritus S. amor. 2. Cur processio Verbi sit generatio, & non processio Spiritus S. 3. Cur processio Filii procedat processionem Spiritus S. 4. Cur Filius procedat ab una tantum persona, & Spiritus S. a duabus. 5. Cur Spiritus S. procedat a Filio, & non Filius a Spiritu S. 6. Cur sint tantum duæ processionis, & non plures: propter quæ incommoda hæc Durandi sententia censura notatur a quibusdam.

Hæc autem omnia in sententia nostra commodè explicantur. 1. Filius dicitur Verbum, & Spiritus S. amor, quia Filius procedit per intellectum, & Spiritus S. per voluntatem. 2. Processio Filii est generatio, & non processio Spiritus S. quia Filius procedit per intellectum, qui est assimilativus, & Spiritus S. per voluntatem, quæ non est assimilativa, ut dicam infra. 3. Processio Filii præcedit processionem Spiritus S. quia intellectus prius agit quam voluntas. 4. Spiritus S. procedit a Filio, & non e contra; quia eo instanti, quo concipitur Filius generari, ipse Filius recipit a Patre voluntatem, nulla adhuc operatione exhaustam. 5. Filius procedit ab una tantum persona, & Spiritus S. a duabus, quia Pater solus prius intelligit, & intelligendo producit Verbum; Verbum autem productum & Pater, sese amando, spirant Spiritum S. 6. Denique sunt tantum duæ processionis, quia sunt tantum duæ facultates producentes, scilicet intellectus, & voluntas.

Prob. 3. pars 1. Principium quo processionis debet saltē secundum aliquid distingui realiter a procedente; nihil enim, ut iam dictum est, se ipsum producit; atqui intellectus, & voluntas in Deo præcisè secundum se, seclusis relationibus, nulla ex parte realiter distinguuntur a procedente: ergo. 2. Omnes perfectiones absolute toti Trinitati sunt communes: ergo, si intellectus, & voluntas sint principium quo processionum divinarum sine ulla modificatione, aut connotatione relationum, potentia generandi, & spirandi erit communis omnibus personis Trinitatis; & cum in Deo omne possibile existat, Filius generabit alium Filium, & Spiritus S. spirabit alium Spiritum S. Sicut itaque in creatis eadem forma in diversis subjectis modificata diversos producit effectus; sic idem calor indurat lutum, liquefacit ceram, in femina producit lac, non in viro: ita aliquo saltē modo (nulla enim paritas adæquata inveniri potest in creatis) idem intellectus Patris, & Filii in Patre modificata relatione Paternitatis generat, non in Filio. Eadem voluntas trium personarum modificata in Patre, & Filio relatione spirationis activæ producit Spiritum S. non in Spiritu S. Quod autem dicimus hic de principio proximo quoad connotationem relationum, dicendum est de principio quo remoto, scilicet natura divina.

Prob. 4. pars 1. Principium quo remotum divinarum processionum est, in quo procedens assimilatur producenti, principium quo proximum id, per quod assimilatur. Sic in generatione humana natura est id, in quo genitus assimilatur generanti, facultas generativa id per quod assimilatur; atqui relatio in divinis non est id, quo & per quod procedens assimilatur producenti, sed e contra est id in quo & per quod differt: ergo. 2. Principium quo proximum divinarum processionum debet esse activum; atqui relatio non est activa: ergo. Major patet. Prob. Min. Relatio sumitur, vel proit est ordo unius ad aliud, vel proit est substantia, seu forma hypostatica; atqui neutro modo est activa, non ut est ordo unius ad aliud, ut patet, & insuper sub hac ratione supponit processionem, & in eis fundatur: non etiā ut est forma hypostatica, quia sic est tantum ultimus terminus nature iners, & infecundus, sicut substantia, seu forma individualis Petri vi. gr. est dumtaxat terminus nature Petri, cum ulterius incommunicabilem reddens: ergo.

In summa itaque dicendum, & absolutum, & relativum importari in principio quo divinarum processionum, sed non ex æquo. Absolutum importatur in recto, & ut forma; relativum in obliquo, ut modus, & conditio. (*Hic q. 41. a. 3. o.*)

Solvuntur objectiones.

Obiicet 1. contra 1. & 2. partem Conclusionis. SS. Patres sæpe dicunt, Filium esse opus nature, esse a natura, ab essentia, a substantia Patris, essentiam esse ab essentia, naturam divinam gignere, & gigni: ergo natura in Deo est principium quo proximum, &c.

R. N. Conseq. Hæ enim, & aliæ similes Patrum locutiones alio, & multiplici sensu Catholico intelliguntur. 1. Dici potest, SS. Patres sic locutos fuisse, quia natura in Deo est principium quo remotum processionum. 2. Sic locuti sunt contra Arianos, qui volebant Filium produci a Deo, non naturaliter, & necessario, sed liberè, sicut aliæ creature producuntur. (*Hic q. 39. art. 3. ad 1.*) 3. Sic ut substantia, natura, essentia non sumantur in abstracto, sed in concreto, ita ut cum dicuntur *Essentia de essentia, natura gignit, natura gignitur*, sensus sit: Filius, qui est essentia, est de Patre qui est essentia, Pater qui est natura gignit, Filius qui est natura gignitur.

Inst. Quidam Patres dicunt, Filium esse, & procedere a Deo Patre per voluntatem; id autem dici non potest, nisi in quantum voluntas est ipsa Dei natura, & essentia: ergo.

R. Id dictum esse a quibusdam Patribus, non quod voluntas, aut natura sit principium proximum processionis Filii, sed alio duplici sensu. 1. Quia agebant contra quosdam Hæreticos, qui dicebant Filium procedere a Patre non spontanè, sed quasi ab invito cæco nature impetu cogente, ut testatur Hilarus lib. de synodis. Undè, cum Arianis hæc loquendi formulam usurparet contrario sensu, scilicet ut significarent Filium, non secus ac alias creaturas, liberè produci, tunc SS. Patres negarunt Filium esse voluntate genitum. 2. Quidam locuti sunt sensu identico, quia nempe in Deo essentia, intellectus, & voluntas sunt realiter unum, & idem, non in sensu formali, & secundum virtuale distinctionem. Ita exponunt Conc. Toletani Patres ann. 688. qui hæc loquendi formulam usurpant.

Obj. 2. contra eandem: Natura divina ex se, & ut præintellecta intellectui, & voluntati, est fecunda: ergo.

R. D. Ant. Est fecunda radicalitèr, & remotè, C. proxime, N. natura enim, ut dictum est, non agit nisi per suas facultates.

Obj. 3. contra eandem: Intellectus, & voluntas in Deo non

distinguuntur, sed sunt unum & idem: ergo non possunt producere diversos terminos, seu diversas personas. R. 1. Hoc argumentum Durandi apertè contra ipsum militare; nam natura divina est simplicissima, & tamen juxta ipsum producit plures personas. 2. D. Ant. intellectus, & voluntas in Deo non distinguuntur realitèr, C. virtualitèr, N. hoc autem est plusquam sufficiens ad producendos diversos terminos: patet in ipso Deo simplicissimo, qui infinita propè creaturarum genera producit, inò ex creatis in uno sole tot diversus effectus producente.

Obj. 4. contra eandem: Creaturæ non generant, quia intelligunt aut volunt: ergo nec Deus. R. N. Conseq. quia creaturæ scilicet corporeæ, ut homines, generant per facultatem corpoream; Deus autem purus Spiritus per facultatem spirituales.

Inst. creaturæ etiā purè spirituales, ut Angeli, intelligendo, aut volendo non producant substantias: ergo nec Deus. R. N. Conseq. disparitas est, quod verbum, aut amor in Angelis sint accidentia, in Deo autem nihil est accidentale; sed totum, quod est in Deo, Deus est; ideoque substantia.

Obj. 5. contra 3. partem Conclusionis. Principium quo divinarum processionum consistit adæquatè in perfectione absolute: ergo. Prob. Ant. Potentia generandi convonit Filio juxta Aug. l. 3. contr. Maximam c. 12. ubi dicit: *Filius non genuit alium Filium, non quia non potuit, sed quia non oportuit*; atqui non conveniret Filio, si non esset adæquatè perfectio absoluta: ergo.

R. N. Ant. ad probationem ex Aug. dico, sensum Augustini esse, quod Filius non genuit alium Filium, non est ex infirmitate, cum habeat eandem virtutem ac Pater; sed quia, cum Filius sit terminus infinitus, exhaurit totam fecunditatem intellectus paterni, qui est idem ipsius Filii intellectus: unde non debemus dicere, quod non potuit impotentia ab infirmitate procedente; sed melius dicitur; non oportuit: & ita loquebantur Patres contra Arianos, ut a Filio removerent, vel umbram infirmitatis, quam importat impotentia nomen.

Inst. si potentia generativa non sit in Filio, deerit ipsi aliqua perfectio: ergo. Prob. Ant. 1. quia juxta Aristotelem 4. Meteor. in tantum aliquid est perfectum, in quantum potest generare sibi simile. 2. Quia potentia generativa est aliqua virtus, aliqua dignitas, & perfectio: ergo.

R. N. Ant. ad 1. probationem dico, doctrinam Aristotelis verificari in natura corruptibili, quæ conservari non potest in uno individuo, secus in natura incorruptibili, ut patet in Angelis. Ad 2. probationem D. Potentia generativa quoad id quod importat in obliquo, scilicet relativum, est perfectio, N. quoad id quod importat in recto, scilicet absolutum, est perfectio, C. ut sic autem est in Filio; est enim idem intellectus, eadem potentia Patris, & Filii sub diverso munere, & diversa modificatione.

Obj. 6. contra 4. partem conclusionis: Juxta S. Athanasium dialogo 1. de Trinitate, & aliquos alios, *Pater hypostasi gignit*: ergo relatio est principium, aut saltē incomprincipium generationis. R. Esse dictum a Patribus quibusdam, Patrem hypostasi generare, non quod sit principium, aut incomprincipium generationis, sed quia requiritur, ut conditio & complementum principii quo, atque consuit principium quoad, seu personam.

Inst. S. Thom. in 1. d. 11. q. 1. art. 3. o. dicit: *Generatio non egreditur ab essentia, in quantum est essentia, sed in quantum est paternitas; & si ista duo, scilicet essentia, & paternitas, differrent in divinis, egredieretur ab utraque generatio, sed a paternitate immediate, & ab essentia ut a 1. principio*: ergo cum differant virtualitèr, generatio est immediate a paternitate, & mediatè virtualitèr ab essentia. R. Quidquid S. Thomas censuere junior, certum est ipsum hæc quæst. 41. art. 3. expressè docere paternitatem non esse principium quo generationis. Neque paternitas, inquit, potest intelligi, ut quo Pater generat, sed ut constituit personam generantis, alioquin Pater generaret Patrem. & idè potentia generandi significat in recto naturam divinam, sed in obliquo relationem. Undè Cajetanus in eadem q. 41. existimat, S. Thomam ille revocasse, quod dixerat in 1. citatum. Verum non videtur necesse recurrere ad retractionem; possunt enim priora S. Thom. verba intelligi, sicut dicebam modo de dictis Patrum. Itaque dicit, quod generatio non egreditur ab essentia in quantum est essentia, sed in quantum est paternitas; quia essentia non est principium quo generationis, nisi ut modificata paternitate: dicit itèr, quod, si essentia, & paternitas differrent, generatio egredieretur immediatè a paternitate, quia essentia non nisi mediante paternitate, ut conditione, & complemento, est principium generationis.

Obj. 7. contra eandem. Eo Pater est principium generationis, quo est potens generare; atqui est potens generare pater

ternitate: ergo. Prob. Min. 1. quia, quod dat esse, dat posse operari; atqui Paternitas dat Patri esse Patrem: ergo. 2. Eo Pater est potens generare, quo est Pater; atqui Paternitas est Pater: ergo R. N. Min. ad 1. probationem D. Maj. quod dat esse speciem, dat posse operari, C. quod dat esse individuale, dat posse operari, Subd. dat posse operari ut quod, C. ut quo, N. non enim hypostasis, seu ratio individualis Petri v. gr. dat ipsi operari ut quo, sed natura humana; Paternitas autem in Deo dat esse individuelle Patri, non speciem. Ad 2. probationem D. similiter: eo Pater est potens generare ut quod, quo est Pater. C. ut quo, N.

Inst. Per id Pater est potens generare, quod est ipsi proprium & singulare, & non commune tribus personis; atqui sola relatio Paternitatis est ipsi propria & singularis: ergo. R. D. Maj. Per id tanquam per conditionem requisitam Pater est potens generare, quod est ipsi proprium, C. Maj. tanquam per verum principium, N. Triū itaque concurrunt, ut aliquis sit Pater, seu principium completum generationis. 1. Natura fecunda, & est principium Quo principale & radicale, in quo genitus assimilatur generanti. 2. Facultas, per quam tanquam per instrumentum fecunditatis nature sese exercit, quæ est in Deo intellectus, & diximus esse principium Quo proximum. 3. Tandem hypostasis seu substantia, qua constituitur persona & generat ut quod, & est in Deo paternitas. Hypostasis autem non est principium Quo, sed complementum & conditio requisita ut principium agat; quia actiones sunt suppositorum.

ARTICULUS III

In quo formalitèr consistunt divine Processiones activè sumptæ.

Suares, & quidam alii volunt, divinas Processiones non esse veras actiones, sed simplices emanationes seu resultantes, eo ferè modo quo proprietates oriuntur ab essentia. Scotistæ cum Scoto dicunt, esse veras actiones intellectus & voluntatis, non tamèn esse intellectionem neque volitionem, sed dictionem & spirationem; ponunt namquè duos actus in intellectu formalitèr distinctos, intellectionem & dictionem; similiter duos eodem modo distinctos in voluntate, amorem & spirationem: & dicunt, Verbum procedere per dictionem, non per intellectionem: & Spiritum S. per spirationem, & non per amorem. Ita Erditius P. Henno, ita ut, juxta Scotistas, actus notionales, quibus procedunt Verbum, & Spiritus S. seu ipse Processiones activæ, scilicet dicere & spirare, distinguuntur ab intellectione, & volitione ex æquo, ut actus ab actibus. Thomistæ verò dicunt, actus notionales seu ipsas Processiones activas esse intellectionem, & volitionem modificatas relationibus, ut dictum est art. præced. de principio carum.

Dico 1. Processiones divinx, activè sumptæ, non sunt simplices emanationes, sed veræ & propriæ actiones. (*Hic art. 2. 3. & 4.*) Prob. 1. Ex art. præcedenti; si enim principia immediata divinarum Processionum sint activæ, scilicet intellectus & voluntas; ergo & illæ sunt actus intellectus & voluntatis. 2. Emanatio proprietatum, saltē primæ, est immediatè a natura; atqui processionem non sunt immediatè a natura, ut probavimus; & fitetur Suares contra Durandum: ergo. 3. Idè Processiones divinx non sunt actiones secundum Suares, quia actio involvit imperfectionem; falsum consequens: ergo & Ant. Prob. Min. actio immanens potest depurari ab omni imperfectione, & esse perfectio simpliciter simplex: ergo. Prob. Ant. Principium activum potest depurari a suis imperfectionibus, & esse in Deo, ut reverà est: ergo a fortiori actio, quæ est ipsius principii actus & perfectio. Idque apertè patet & in virtute activa, & in actione productiva creaturarum, quæ sunt propriè in Deo ab omni imperfectione depurate.

Dices: De ratione actionis propriæ est, quod sit motus, & egressio ab agente, quæ involvunt imperfectionem: ergo. R. De ratione actionis propriæ esse tantum, quod sit ultima actualitas agentis ab illo egrediens egressu formali, aut virtuali: virtualis autem egressus non dicit imperfectionem magis, quam virtualis dimanatio proprietatum in Deo.

Nec tamèn debet dici, quod Deus sit verè & propriè agens, sed tantum verè & propriè intelligens; quia hoc nomen agens usu communi sumitur pro principio producente per veram causalitatem cum dependentia: sicut etiā, licet Pater sit principium Verbi, non tamèn debet dici Verbum principium; quia, ut notat D. Thom. (*Hic q. 33. art. 1. ad 2.*) nomen principium importat minorationem & inferioritatem: quæ Verbo non competit.

Quando autem S. Doct. q. 2. de potent. art. 1. negat actionem Deo propriam, intelligit de actione prædicamentali & transeunte, ut ibidem dicit: & quando hic art. 1. o. vocat processionem *Emanationem intelligibilem*, sumit emanationem latè,

proit emanatio distinguitur contra actionem corporalem & transeuntem. Verum est quidèr, quod relationes in creatis habeantur per resultantiam ex positione termini, quia sunt accidentia debilis entitatis; at in Deo sunt substantiales, quarum ideo est propriè fieri.

Dico 2. Dicitio, & spiratio, quæ sunt actus notionales, & in quibus formalitèr consistunt Processiones divinx, non distinguuntur ab intellectione, & volitione virtualitèr, seu, juxta modum loquendi Scotistarum, formalitèr ex natura rei, ut actus ab actibus; sed sunt ipsa intellectio, & volitio sola relationis connotatione diversæ.

Prob. 1. ex Patribus. Juxta SS. Patres Verbum procedit per cogitationem; atqui cogitare formalitèr est intelligere: ergo. Prob. Maj. Irenæus l. 2. c. 48. *Deus*, inquit, *totus existens mens & totus existens anima, quod cogitat, & hoc loquitur, & quod loquitur, hoc & cogitat*. Tertullianus contra Praxeam c. 3. *Filium appellat Dei rationem*, quia Pater cogitando illum producit. S. Fulgentius l. 3. ad Monimum c. 7. *Si est, inquit, Verbum apud Deum, sicut est in mente verbum... Cum enim mens apud se verbum habet, utique cogitando habet: quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare. Cum ergo mens cogitat, & cogitando intra se verbum generat. Quid expressus? Item Aug. 13. de Trinit. c. 13. *Verbum*, inquit, *natum est...* *De Patris scientia, de Patris sapientia*; esse autem sciens, & sapiens est intelligere, inquit ipse P. Henno Scotista. Undè idem S. Doctor l. 7. cap. 2. dicit, quod Verbum sit sapientia genita.*

Prob. 2. ratione: Dicitio & intellectio in nobis non sunt duo actus realitèr distincti, sed duæ formalitates, seu duo munita inadæquata ejusdem actus, qui, quatenus fertur in obiectum cognoscendum, dicitur intellectio, & quatenus cognoscendo obiectum format verbum, dicitur dicitio: ergo in Deo non sunt virtualitèr, seu secundum Scotistas formalitèr ex natura distinctæ ut duo actus. Patet Conseq. quia, si quæ distinguuntur in inferioribus, ut communiter dicitur, adunantur in superioribus; a fortiori, quæ identificantur in inferioribus, sunt unum & idem in superioribus. Prob. Ant. Dicitio attingit verbum in esse intelligibili formalitèr; atqui nullus actus potest attingere aliquid sub ratione intelligibilis formalitèr nisi sit intellectio: ergo. Prob. Maj. Dicitio attingit verbum formalitèr, ut manifestans, & repræsentans obiectum qua intellectum: ergo. Est tamèn hæc differentia inter dictionem nostram & divinam, quod in nobis formalitas dictionis concipiatur prior formalitate intellectionis; e contra in Deo: ratio disparitatis est, quod in nobis formetur verbum ab intellectu ex indigentia, ut intelligamus, in Deo autem formatur ex abundantia, quia intelligit. Confirmatur: omnis actus intellectus est intellectio, & omnis actus voluntatis est volitio; atqui dicitio est actus intellectus, & spiratio actus voluntatis: ergo dicitio est intellectio, & spiratio est volitio. Minorem admittunt Scotistæ. Prob. Maj. 1. Omnis actus potentie vivæ est visio: ergo omnis actus intellectus est intellectio, & omnis actus voluntatis est volitio. 2. Obiectum formale adæquatum intellectus est verum intelligibile; atqui omnis actus attingens obiectum sub ratione veri intelligibilis est intellectio: ergo omnis actus intellectus est intellectio.

Respondet P. Henno, quod omnis actus intellectus sit intellectio formalitèr vel radicalitèr, non sempèr formalitèr. Sed contra: 1. omnis actus potentie vivæ est visio formalitèr: ergo omnis actus potentie intellectivæ est intellectio formalitèr. 2. Si datur aliquis actus intellectus, qui non sit intellectio formalitèr, verum intelligibile non erit obiectum specificativum adæquatum intellectus, cum erit aliquid aliud, quod attingit formalitèr.

Prob. 3. evertendo fundamentum Scoti. Idè Scotus fingit, dictionem esse actum distinctum ab intellectione, ne cogatur admittere personas procedere per actum essentialem tribus personis commune; atqui idem inconveniens incurrit: ergo. Prob. Min. illa dicitio, ut distincta ab intellectione, est in ratione actionis actus absolutus, sicut ipsa intellectio, Consequenter essentialis, & communis tribus personis; omnia enim absoluta in Deo sunt essentialia, & tribus personis communia.

Respondet P. Henno, dictionem esse quid relativum; quia, inquit, etsi in humanis relatio non sit productiva, est tamèn in divinis. Sed contra: 1. dicitio juxta adversarium est actus intellectus; atqui actus intellectus non est formalitèr relatio: ergo. 2. Relatio in humanis non est productiva: ergo nec in divinis. Consequenter prob. 1. a paritate; aut adferatur disparitas. 3. Relatio in divinis non potest considerari nisi duplicitèr, vel ut est ordo unius ad aliud, vel ut est substantia, seu forma hypostatica; sub 1. respectu non est productiva, fatente hic Theologo Franciscano, neque sub 2. sic enim est dumtaxat terminus ultimus nature sterilis & infecundus.

Prosequitur P. Henno. Paternitas divina, inquit, potest dici formalitèr generatio, non proit est relatio referens unum ad aliud, sed proit est id quo procedit Filius. Sed contra: Paternitas

mitas, prout est id, quo procedit Filius, vel est quid formaliter relativum, vel quid formaliter absolutum. Primum dici non potest; tunc quia id, quo procedit Filius, est actus, scilicet dictio, proinde non formaliter relatio; tunc quia sic formaliter est referens unum ad aliud, sub quo respectu, fatente adversario, non est productiva, nec generatio. Si secundum dicatur, stat integra vis argumenti facti, nimirum esse quid commune tribus personis, non secus ac intellectionem. Si forte dicas, esse quid absolutum modificatum relatione, hoc & nos dicimus de intellectione; unde est inutile fingere actionem distinctam ab intellectione, ut salvetur actionem productivam non esse communem tribus personis.

Itaque intellectio & volitio in Deo possunt considerari dupliciter: 1. precise secundum se & solitarie, & sic sunt actus essentialis, & communes tribus personis. 2. Ut modificata relationibus Paternitatis, & Spiritationis activae; & sic sunt actus notionalis & processiones activae, indeque habet intellectio, quod sit dictio, & volitio, quod sit spiratio, eo modo quo diximus art. praeced. de principio quo proximo.

Quod autem hic dicimus de processionibus activae sumptis, idem, proportionate servata, dicendum est de processionibus passivae sumptis; ita ut, sicut intelligere modificatum relatione Paternitatis est generatio activa, ita intelligi modificatum relatione Filii, seu filiatione, sit nativitas & origo passiva; unde relatio utramque ingreditur, non ut forma, sed ut complementum formae, ut dictum est.

Dices 1. cum P. Henno, & aliis Scotistis: intellectio & volitio sunt communes tribus personis; atqui actus notionalis, quibus procedunt Filius, & Spiritus S. non sunt communes tribus personis: ergo. R. 1. Retorquendo argumentum: dictio, ut est actus intellectus, est sub isto respectu quod absolutum, consequenter commune tribus personis. 2. D. Maj. Intellectio & volitio precise secundum se sunt communes tribus personis, C. ut modificata relationibus, N. Solutio patet ex dictis.

Instat laudatus Theologus. Inde sequeretur, quod bonitas, quae est in Patre, non sit etiam communis tribus personis, cum illa non minus debeat esse modificata per paternitatem, quam intellectio. R. N. Sequelam, & eius probationem: quia Pater non generat per bonitatem, sed per intellectionem: & ideo relatio afficit intellectionem, & non bonitatem.

Dices 2. cum eodem: si Pater produceret Verbum intelligendo, intelligeret ipso Verbo, adeoque esset sapiens Verbo, seu sapientia genita, quandoquidem sapiens esse sit intelligere; quod reputat absurdum S. Aug. 15. de Trinit. cap. 7. ergo. R. N. Sequelam. Quia intellectio simpliciter dicta dicitur essentialiter de Deo, & non notionaliter; unde, quamvis producat Verbum intellectione notionalis, non debet dici, quod intelligat, aut sapiens sit Verbo, sed quod dicat Verbo; intelligit autem & sapiens est seipso. (Hic q. 37. art. 2. ad 2.)

Dices 3. cum eodem: actio productiva debet distingui ab ea, quae non est productiva; atqui dictio est productiva, non intellectione, quae ex se dicit tantum tendentiam in objectum cognoscendum, non in verbum producendum: ergo R. D. Maj. Actio productiva debet distingui ab ea, quae non est productiva ex aliqua parte, C. simpliciter & ex aequo, ut actus ab actu, N. (Q. 34. art. 1. ad 3.) Non diffitemur itaque, esse aliquam distinctionem inter intellectionem & dictionem. Intellectio precise importat solam habitudinem ad rem intellectam; dictio importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum sed tamen ipsa dictio est intellectio, quia verbum concipitur intelligendo; sic, inquit S. Doct., intellectus hominis verbo, quod concipit intelligendo lapidem, dicit; ita ut intelligere & dicere sint duae formalitates, seu duo munia inadequata ejusdem actionis adaequate sumptae. Habet autem intellectio, quod sit dictio ex connotatione relationis paterna, ut dictum est.

Inst. Dictionis & intellectionis diversi sunt termini & diversi modi tendendi in illos: ergo sunt diversae actiones. R. D. Ant. sunt diversi termini & diversi modi tendendi secundum quod, C. simpliciter, N. Nam dictio tendit in verbum ut intellectum, adeoque & intelligendo productum, consequenter est intellectio.

Repones: datur intellectio, quae non est dictio, ut in Beatiss. ergo. R. D. Ant. Datur intellectio inadequata sumpta, quae non est dictio, C. adaequate sumpta, N.

## ARTICULUS IV.

Quot sunt in Deo Processiones?

**D**ico: In Deo sunt duae Processiones, & non plures: altera per intellectum, quae quoniam Verbum; altera per voluntatem, quae spiratur amor. (Hic q. 27. art. 4. et 5. o.)

Prob. utraque pars auctoritate Scripturae, quae ultra processionem Verbi, quam in pluribus locis, ut Joana. 1. & 8. &

alii agnoscit, aliam processionem Spiritus S. ut a Verbo distincte admittit. Joann. 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, & cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit. Ultra quas nullam aliam agnoscit. Ita etiam Patres & Concilia: ergo.

Prob. (Ibid. art. 5. o.) In divinis processio attenditur secundum actionem immanentem, non transeuntem; atqui in Deo, utpote agente intellectuali, duae sunt actiones immanentes & non plures, scilicet intellectio & volitio, virtualiter distinctae: ergo & duae processiones, alia per intellectum, quae est processio Verbi, alia per voluntatem, quae est processio amoris; sicut enim per intellectionem, seu conceptionem Verbi, inquit hic S. Doct. (Ibid. art. 3. o.) res intellecta in intelligente; sic per amorem res amata est in amante, non quidem hoc sensu, quod in amante produceretur res amata, seu ejus similitudo, sicut in intelligente, sed impulsus quidam, & propensio voluntatis in rem amatum. Unde res amata dicitur esse in amante, non ut ejus objectum, seu similitudo, sed ut terminus intrinsecus amoris, & volitionis.

Dices 1. contra 1. partem. In omni natura est tantum unus modus eam communicandi: ergo & in divina unicus est, nempe per intellectum, & non per voluntatem. R. N. Conseq. Disparitas est, quod, quidquid est in Deo, Deus est; quod non reperitur in aliis rebus, unde per quamlibet processionem, quae non est ad extra, communicatur divina natura (art. 3. ad 2.)

Instabis: Per primam processionem communicatur tota natura: ergo non restat alteri locus. R. D. Ant. Per primam processionem communicatur tota natura & totaliter, seu omni modo quo est communicabilis, N. Tota, sed non totaliter, nec omni modo quo est communicabilis, C. Quia natura divina non solum est fecunda & communicabilis per intellectum, sed etiam per voluntatem.

Repones: Quodlibet infinitum est unicum, unde natura divina non multiplicatur, quia est infinita; atqui processio divina est infinita: ergo. R. D. Maj. Quodlibet infinitum est unicum in suo ordine, seu in ea ratione, in qua est infinitum, C. est unicum excludens infinita alterius rationis, N. Et sic distincta Minor, N. Consequent. Sic misericordia est infinita in ratione misericordiae, seu, ut ita dicam, intensive; non tamen extensive, seu hoc sensu, quod sit solum attributum infinitum in Deo. Similiter de Processionibus.

Dices 2. Si essent duae Processiones in Deo, differrent numero, vel specie; non numero, alioquin utraque esset vel generatio vel spiratio; non specie, alioquin non communicaretur utrimque eadem natura: ergo. R. In Deo non esse proprii generis, neque speciem; loquendo tamen per quendam analogiam ad creaturas potest dici, quod haec duae processionis distinguuntur quasi secundum speciem, non quidem ratione diversae naturae, sed ratione proprietatum personalium, quae in unitate naturae sunt diversae, quod non contingit in creaturis.

Inferes: ergo personae differunt etiam quasi specie. R. N. Illationem; quia illae personae censentur ejusdem speciei, quae habent eandem naturam: Personae autem ejusdem habent naturam eandem, non solum specie, sed numero.

Dices 3. contra 2. partem. Idem intellectus in nobis plures elicit cognitiones, & plura verba: Similiter voluntas plures amores: ergo similiter in divinis. R. N. Conseq. Quia Verbum intellectus divini, utpote infinitum, est adaequatum conceptioni, & scientiae Patris, quam exhaurit. Unde dicitur: Semel locutus est Dominus. Idem die de amore divino. Deus inquit S. Doct. (Ibid. art. 5. ad 3.) unico simplici actu omnia intelligi, & similiter omnia vult.

Dices 4. Non minus attendi debet processio secundum potentiam, quam secundum intellectum & voluntatem: ergo. R. Quod potentia sit principium agendi in aliud. Unde secundum potentiam actio est ad extra, adeoque processio creaturarum, non divinae personae. (Ibid. art. 5. ad 1.)

Inst. Solum est in Deo memoria; atqui haec est facultas immanens: ergo. R. D. Ant. Est in Deo memoria metaphorice, C. proprie, N. Nihil enim est Deo praeteritum, nec ejusquam oblivisci potest.

Dices 5. Bonum est sui diffusivum: ergo secundum bonitatem divinam debet accipi processio. R. D. Ant. Bonum est sui diffusivum objective, C. Ant. effective, N. Ant. Hoc sensu igitur dicitur bonum sui diffusivum, quod sit obiectum, & finis appetibilis a voluntate; non vero quod sit principium effectivum operationis, seu diffusionis sui. Unde, cum processionis, de quibus hic est questio, attendantur secundum actiones; secundum bonitatem, & alia hujusmodi attributa, non accipiuntur aliae processionis, quam Verbi & amoris, in quantum Deus suam essentiam, veritatem, & bonitatem intelligit, & amat. (Ibid. ad 2.)

Di-

Dices 6. Filius per generationem accipit voluntatem, in qua cum Patre producit Spiritum S. ergo accipit pariter intellectum, quo possit producere aliud Verbum. R. N. Conseq. Disparitas est, quod Filius accipit intellectum ipsa sui productione exhaustum, voluntatem autem accipit nondum exhaustam. Etenim, quamvis & processiones & personae sint simul tempore, est tamen inter easordo originis, ita ut modo nostro intelligendi concipiatur prius generatio Verbi, quam spiratio Spiritus S. quia intellectus est prior voluntate, & prius est intelligere, quam amare; nihil quippe est volitum quin praecogitum, ut fert commune axioma. In eo ergo instanti, quo concipitur generari Filium per intellectum, iste intellectus concipitur exhaustus productione ipsius Filii, quippe quod sit terminus infinitus intellectioni infinite adaequatus. Et, cum sit idem ipse intellectus Patris productus, quem recipit Filius & quo intelligit, non restat isti intellectui jam exhausto locus aliud Verbum producendi; at recipit in eodem instanti & eadem generatione voluntatem nondum exhaustam spiratione Spiritus S. qui in eo instanti generationis Verbi nondum concipitur spiratus, consequenter ea voluntate non exhausta potest Filius cum Patre Spiritum S. producere.

## ARTICULUS V.

Utrum sola processio Verbi, & non processio Spiritus S. sit generatio? Quae ratio hujus discriminis?

**N**Ota: Generatio, prout convenit etiam non viventibus, est mutatio de non esse ad esse in aliquo subjecto: prout autem convenit solis viventibus, definitur: origo viventis a vivente conjuncto in similitudinem naturae specificae. (Hic art. 2. o.)

In hac definitione explicatur quatuor causae concurrentes ad generationem, scilicet efficiens, materialis, formalis, & finalis. Efficiens, cum dicitur: Origine a vivente; materialis, cum dicitur: a vivente conjuncto; per has enim particulas significatur materia, ex qua elaboratur, & procedit genitum. Generans enim debet producere factum ex sua substantia, vel ex aliquo sibi conjuncto, saltem in principio generationis. Defectus hujus conditionis Angeli & homines non sunt a Deo geniti; quia, licet sint viventes a Deo vivente procedentes, nihil tamen in se habent divinae substantiae. Causa finalis, cum dicitur: in similitudinem naturae specificae, quia finis generationis est propagatio naturae generantis in alio simili: inclinatur enim natura ad propagationem sui, ut perpetuetur, quantum fieri potest, si non in eodem individuo, saltem in diversis ejusdem speciei. Defectus hujus conditionis pilii, capilli, vermes erumpentes ex homine, non dicitur proprie geniti, neque ejus filii. Denique causa formalis significatur isdem particulis in similitudinem naturae; quia genitum non solum debet esse simile generanti in se, & essentialiter, sed etiam debet procedere simile generanti ex vi, & modo processionis; hoc est, modus processionis, secundum scilicet speciem suam consideratus, & non solum secundum individuum, debet esse modus assimilationis, seu importandi rationem, cur id quod procedit, sit simile sui principio, ita ut sit haec propositio, generans assimilatur, tamen formalis in quarto modo per se, ut loquuntur Philosophi, quam haec, *Edificator edificat, calidum calefacit, musicus cantat.* Ratio est 1. quia definitiones intelliguntur in sensu formali. 2. Quia tota formalitas generationis consistit in expressione similitudinis, seu in propagatione naturae ut similis, nec aliud est generare, quam exprimere similitudinem propagativam sui; juxta illud. Gen. 5. *Adam genuit ad imaginem, & similitudinem suam.* Defectu hujus conditionis Eva formata ex costa Adae non est genita, neque ejus filia; quia, licet sit essentialiter homo sicut Adam, & vi hujus processionis secundum individuum spectatae processerit ei similis, non tamen vi processionis secundum speciem spectatae, quia modus procedendi ex costa non est assimilativus, seu non importat rationem, cur id, quod sic fit, sit simile in natura illi, ex cujus costa fit; potuisset enim ex illa costa fieri equus, aut quidquam aliud, non sic ex actione generativa a natura instituta. Propter eandem rationem, ut utamur exemplo S. Th. (4. contr. gen. cap. 23.) si aliquis homo virtute, sibi divinitus concessa, hominem faceret manibus suis ex aliqua sui parte, sicut facit artificium, & alterum modo ordinario a natura instituto, uterque foret essentialiter homo; primus tamen non esset genitus aut filius, sed artefactus; secundus vero esset genitus, & filius. Quid ita? quia iste procederet modo secundum se assimilativo, non ille; posset namque per actionem ejusdem speciei cum prima aliquid aliud fieri quam homo, non per secundam. Haec itaque particulae *ex vi, & modo processionis* debent subintelligi in definitione generationis. Haec necesse fuit paulo fuit explicare ad intelligentiam praesentis questionis.

Si dicas, nullum ex equo generari, & tamen mulus non est ejusdem speciei cum equo. R. ad generationem absolutam

sufficere, si ex sese tendat in assimilationem speciei, licet per accidens defectu materiae, aut virtutis activae in mare perfectam assimilationem non attingat, ut contingit in mulo, cujus ideo generatio est imperfecta & praeter naturam. (Q. 3. de verit. art. 8. ad 4. & 7. metaph. Lect. 7.)

Dico 1. Processio Verbi est generatio, non processio Spiritus S. (Hic art. 2. & 4. o.) Primam partem aperte testantur Scripturae. Ps. 2. *Filius meus es tu, hodie genui te.* Ps. 109. *Ex utero ante luciferum genui te.* Isai. 53. *Generationem ejus qui enarrabit.* Joann. 3. *Pater diligit Filium.* Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Ubi autem est Pater, & Filius, ibi est generatio. Suffragatur ratio. Processio Verbi est origo viventis a vivente conjuncto in similitudinem naturae: ergo. Prob. Ant. 1. Est origo viventis a vivente; quia procedit per modum intelligibilis actionis, quae est operatio vitae. Unde Joann. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in seipso.* 2. A vivente conjuncto; quia est per actionem immanentem. Unde Joann. 10. *Ego, & Pater unum sumus.* 3. In similitudinem naturae; quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectae, & in eadem natura existens; quia in Deo idem est intelligere, & esse. (Ibid. art. 2. o.)

Secundam partem pariter testatur Scriptura, juxta quam Spiritus S. nunquam nominatur Filius, aut Genitus; & Verbum vocatur Unigenitus Patris Joann. 1. & 3. 1. Ep. Joann. cap. 4. & alibi. Si Unigenitus, ergo nec Spiritus, nec quisquam alius praeter ipsum est genitus. Nec refert, quod Salomon Prob. 4. vocetur unigenitus, cum tamen haberet fratres ex eodem patre, & ex eadem matre. 1. Paralip. 3. Non enim Salomon vocatur unigenitus simpliciter, sed *unigenitus coram matre sua*; quo significatur eum a matre unice diligi, ac si foret unicus; unde septuaginta verterunt: *dilectus in facie matris.*

Utraque partem tradunt unanimiter SS. Patres, ut videre est in prior Dissert. universaque profiteretur Ecclesia in omnibus Symbolis fidei, in quibus secunda Persona dicitur nata, tertia procedens tantum, sed maxime in Symbolo, quod dicitur S. Athanasii: *Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus: Spiritus S. a Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*

Si dicas, Christus in Scripturis etiam vocari *Primogenitum*: R. Vocari *Primogenitum* duplici sensu. 1. Non quod alii post ipsum sint geniti, sed quod nullus ante ipsum sit genitus, quo sensu dicitur est de B. Virgine, quod peperit Filium suum primogenitum. 2. Dicitur primogenitus respectu filiorum subsecquentium, non secundum naturam, sed secundum adoptionem, quales sunt fideles, quos ipse vocavit fratres; quo sensu dicitur est Rom. 8. *Primogenitus in multis fratribus.* Ita Concil. Ephes. cap. 4. *Filius Dei*, inquit, *unigenitus est primogenitus, & unigenitus: Primogenitus comparativo ad filios adoptivos, & unigenitus per exclusionem filii naturalis.*

Hic sistit fides; at hic non sistunt Theologi, qui operose investigant rationem hujus discriminis inter utramque processionem, quam tamen quidam Patres interdum dixere investigabilem. Sic Aug. 1. 3. contr. Maximum cap. 14. *Quid inter nasci, inquit, & procedere interit, de illa excellentissima natura loquens, explicare quis potest? Et infra: Distinguere inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.* Similiter Athanasius Ep. ad Serap. Damasc. 1. 1. cap. 10. Nazianzenus orat. 37. & alii. Ita vero aliquando locuti sunt Patres; quia, cum in hac profundissima questione nihil adferri possit, quod plene, & ex omni parte animum quietet, timebant, ne inde haeretici ansam surmerent irridendi fidem nostram, quasi his rationibus probabilibus niteretur. Hanc rationem Aug. aut quisquis alius Auctor 1. 1. contr. Felicianum cap. 8. *Hoc*, inquit, *fides credit, intelligentia non requirit, ne aut non inventum putet incredibile, aut repositum non credit singulare.*

Hoc tamen non obstat, quominus ipsimet SS. Patres hujus discriminis rationes inquisiverint, & eas ut probabiles sine contentione proposuerint. Quidam enim dixerunt, Spiritum S. non esse Filium, ne, cum e duobus procedat, putaretur procedere ex Patre, & Matre, ut inter homines. Ita Aug. 15. de Trinit. cap. 27. Basilii Ep. 43. Quidam; quia poesis ut datus, non ut natus. Idem Aug. 5. de Trinit. cap. 14. Alii, ne, si duo essent in Deo Filii, cogitaretur in Deo infinita multitudo Filiorum, ut inter homines. Alii, ne Spiritus S. diceretur Patris aeterni nepos. Porro has rationes, & alias similes, quas refert Petavius 1. 7. de Trinit. cap. 13. SS. Patres proposuerunt ad captum populi, & pro iis, qui altiora non valent penetrare, sed ex humanis divina metuntur, ut constat ex ipso Aug. initio capitis cit. 15. de Trinit. ubi ait: *Sufficit autem interim his, qui extendi non valent in amplius. Non igitur sunt culpandi Theologi, qui vestigia Patrum secuti desudant in investigandis causis hujus Mysterii, easque modestè proponunt, non ut decretorias, quasi his fides nostra nitatur,* sed

sup

supposita fide, ut probabiles. Nobis autem hic incumbit inter probabiles probabiliorum eligere. Unde

*Opiniones Scholæ.*

**P**rima opinio dicit, Verbum esse genitum, & non Spiritum S. quia hic a duobus procedit, Verbum ab uno tantum. Ita Aliacensis apud Vasquez disp. 113. cap. 3. sed hæc ratio videtur insufficientis; sive enim aliquid procedat ab uno tantum, sive a duobus, ut inter homines, hoc ipso quo vi processionis procedit in similitudinem naturæ, est Filius. Unde, si Spiritus S. procederet a duobus per intellectum, esset Filius. Quod S. Aug. citatur l. 15. de Trin. cap. 27. & S. Th. q. 10. de potent. art. 2. ad 11. videantur innere hanc sententiam; ad Aug. jam responsum est; ad S. Th. R. ipsum hanc rationem assignasse non ut rationem a priori, sed ut signum a posteriori. Ex hoc enim, quod Spiritus S. ex mutuo Patris & Filii amore, consequenter ex voluntate procedat, Filius verò ab uno per intellectum, bene inferitur Filium esse genitum, non Spiritum S.

Secunda opinio dicit, idem Filium esse genitum, & non Spiritum S. quia, licet uterque vi processionis procedat ut similis in natura, tamen Filius procedit ut imago; non Spiritus S. ita Vasquez. Sed neque videtur hæc ratio admittenda: i. quia hoc ipso quo aliquid procedit vi processionis ut simile, procedit ut imago; quid enim est aliud esse imago alterius quam ei esse simile: unde sequeretur in ista sententia, quod Spiritus S. esset genitus. Quia de ratione Filii seu geniti est, non solum quod sit imago purè representativa alterius, alias imago Cæsaris foret genita, & Filia Cæsaris; sed quod sit imago propagativa naturæ generantis, vel per multiplicationem naturæ ut in creatis, vel per consubstantialitatem ut in divinis: non explicat autem ista ratio, cur processio Verbi sit potius propagativa naturæ divinæ, quam processio Spiritus S.

Tertia opinio dicit, processionem Verbi esse generationem, & non processionem Spiritus S. quia Verbum recipit naturam secundam potentem producere aliud suppositum, non Spiritus S. ita Richardus a S. Vict. Alensis, & alii. Sed nec ista ratio videtur sufficiens: quamvis enim Filius non esset productivus Spiritus S. semper esset Filius, quia semper esset Verbum; eo autem est Filius quo est Verbum, ut ait Aug. Tract. 44. in Joann. 2. Quia ad veram generationem sufficit, quod termino producto communicetur natura sub conceptu naturæ: non est autem de conceptu naturæ, quod sit principium in ordine ad aliud, sed quod sit principium ejus in quo est, ut patet ex ejus definitione; & alioquin Spiritus S. qui non est productivus alterius suppositi, non foret ejusdem naturæ cum Patre, & Filio: salvatur ergo conceptus naturæ in eo, quod sit radix proprietatum, & principium actionum, sive transeuntium, sive immanentium.

Quarta opinio dicit, processionem Verbi, non processionem Spiritus S. esse generationem, quia prima procedit naturaliter, seu per modum naturæ, non secunda. Franciscus Henno disp. 1. de Deo Trino q. 6. hanc sententiam tribuit DD. Seraphico, & Subtili, eamque sequitur: sic autem illam explicat & probat conclusionem 3. Generatio est opus naturæ: ergo debet naturaliter procedere, seu ab agente naturali, quale est intellectus, qui est ad agendum naturaliter determinatus; atqui voluntas, etiam divina, non est agens naturale, sed voluntarium, & liberum libertate essentiali, etiam respectu processionis Spiritus S. ergo. Sed contra: per libertatem essentialem laudatus Theologus vel intelligit libertatem indifferentiæ, ita ut Deus potuerit non producere Spiritum S. sicut potuit non producere creaturas, & hoc sensu intellecta minor propositio ejus argumenti foret hæretica, & ut Ariana passim impugnata a SS. Patribus: dogma namque Catholicum est, Deum sic se necessario necessitate naturæ amare, ut ab amore sui non possit se magis temperare, quam ab intellectu sui, consequenter Spiritum S. non minus necessario necessitate naturæ procedere per voluntatem, quam Verbum per intellectum. Vel per libertatem essentialem intelligit immunitatem a coactione, & ita reverè eam explicat tractatu de principiis actuum humanorum, disp. 1. q. 4. in resp. ad 1. object. Verum non minus hac libertate gaudet processio Verbi, quam processio Spiritus S. etenim extra omne dubium est Patrem non coactè, non invitò, sed voluntariè, & spontaneè producere Verbum; a quo namque posset cogi? Remanet ergo integra difficultas, cur processio per voluntatem necessaria necessitate naturæ non sit generatio, & processio per intellectum non magis necessaria sit generatio, quandoquidem procedens per voluntatem etiam procedat vivens a vivente, & natura similis.

Hic itaque opinionibus, & quibusdam aliis ignobilioribus omissis, cum S. Th. (*Hic art. 2. & 4. o.*) omnibus Thomistis, & plurimis aliis, Dico: Ideo processio Verbi est generatio, &

non processio Spiritus S. quia processio Verbi est per intellectum, qui vi sua est assimilativus, & processio Spiritus S. est per voluntatem, quæ vi sua non est assimilativa.

Hic Sententiæ favet Scriptura, quæ dùm Verbum appellat Filium, & eum, qui non est Verbum, non appellat Filium, indicat idem Filium esse, quia est Verbum; & Spiritum non esse Filium, quia non est Verbum. Conformiter S. Aug. l. 6. de Trin. cap. 2. *Et Filius, inquit, quo Verbum, & eo Verbum quo Filius.* Et tract. 48. *Quia Verbum idem Filius.* Ideo Athanas. Orat. 2. & 3. contra Arian. Ambros. libr. de Incarnat. cap. 3. & alii. Prob. Ratione (*Ibid. art. 4. o.*) de ratione generationis est, quod vi sua, & per se, seu secundum speciem spectata, procedat in similitudinem naturæ; atqui id convenit processioni, quæ est per intellectum, & non processioni, quæ est per voluntatem: ergo. Major patet ex dictis initio art. Prob. Min. Hæc est differentia, inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus intelligat per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem, undè vi sua per se, seu secundum speciem spectatus est assimilativus: voluntas autem vult non per hoc, quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate, sed ex hoc, quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam: ergo processio, quæ attenditur secundum intellectum, est vi sua, & per se secundum rationem similitudinis; processio autem, quæ attenditur secundum voluntatem, non est vi sua, & per se secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis, & moventis in aliquid.

*Solvuntur objectiones.*

**O**bj. 1. cum Honor. Tournely. Certum non est apud omnes, intellectum, cum intelligit, formare intrà se verbum, quod sit formalis representatio objecti; id quidem opinantur Peripatetici, sed alii Philosophi dubitant: atqui non licet proferre tanquam fundamentum discriminis generationis Filii a processione Spiritus S. id, quod valde incertum est, ac dubium. An id dignitati, & majestati nostri mysterii consentaneum est?

R. 1. Nos, supposita fide, præsentis discriminis rationem proferre, non omnino certam, & demonstrativam, sed inter probabiles probabiliorum; quod nemini vitio verti debet: alioquin forent culpandi, nedum omnes ferè Theologi, sed plurimi SS. Patres, Basilus, Gregorius Nyssenus, Aug. Isidorus & alii, qui varias hujus discriminis rationes protulerunt probabiles dumtaxat, & ut candidè loquar, minus probabiles, nostro saltem iudicio, quam sit ratio S. Thomæ. Debet ergo negari Minor argumenti, & ejus suppositum. Dato enim, non esse omnino certum intellectum producere verbum, falsum est tamen esse *valde incertum*, quin imò absolute loquendo longè probabilius est, & nobis certum videtur: quidam quidem in dubium revocant, at hi pauci sunt; longè plures, & intelligentiores affirmant, non solum Philosophi Peripatetici, sed communiter Theologi, imò, & SS. Patres, principis Scholæ, non Peripatetice, sed Platonicæ additi: hinc illud tritum ex August. *Ex objecto, & potentia paritur notitia.* Idem ipse Aug. q. de Trin. cap. 12. probat, Verbum esse Filium, & non Spiritum S. quia *mens notitiam tuam gignit, cum se novit, & amorem suum non gignit, cum se amat.* Et Anselmus Monologii cap. 8. *verbum, inquit, magis ut consideratur, se prolem ejus a quo est evidentissimè probat, promptam præferendo patris imaginem; & amor aperte se prolem negat.*

R. 2. Si quid valeret argumentum Tournelianum, ex eo sequeretur, nihil nos ex Philosophia, seu ratione mutare posse ad propugnandum veritatem mysteriorum nostrorum contra Hæreticorum oppugnationes, & sophismata; nihil namque tam certum est in rebus Philosophicis, quod a quibusdam non impugnetur: sic hesterni Philosophi causis secundis virtutem agendi denegarunt: sic prima principia evidentissima in dubium revocarunt. Quot ipse Tournely cum aliis Scripturibus in tota sua Theologia, & ne longius excurram, quot in hoc præsentis Tract. rationes philosophicas in subsidium fidei protulit contra absurdas Hæreticorum imaginationes, & cavillationes?

Eas ne omnes fortè credit sic indubitas, ut a nemine in dubium revocari possint? Imò quid est aliud conclusio Theologica, quam propositio illata ex duabus præmissis fidei, vel ex una præmissa fidei, & altera rationis? Undè communiter dicitur, rationem fidei ancillari debere, juxta illud, *voca ancillam ad arcem*: quo ergo vergit argumentum Tournely, nisi ut, eliminata Theologia, in sola fide sistamus?

Obj. 2. cum eodem. Non est de ratione intellectus ut sic, proè abstracta a divino & humano, ut assimilet sibi terminum in natura, sed tantum ut assimilet intentionaliter, seu intelligibiliter: ergo non habet Verbum divinum, quod sit Filius consubstantialis Patri, præcisè ex eo quod procedat per intellectum. R. 1. Juxta sententiam, quam in Tract. præced. amplexati sumus, juxta quam essentia divina constituitur per gra-

dum intellectivum in Deo, esse intentionale seu intelligibile, & esse substantialè sunt unum & idem absquè virtuali distinctione. Undè, quod est in eo assimilativum in esse intelligibili, est formaliter assimilativum in esse entitativo & substantiali: sed abstractendo ab hac existentia, quæ non omnibus arridet.

R. 2. N. Ant. pro 2. parte: etenim falsum est, esse de ratione intellectus ut sic & generativum, ut assimilet intentionaliter seu intelligibiliter tantum, id convenit intellectui imperfecto & creato. Intellectus igitur ut sic & generativus esse assimilativus ut sic, seu tendit in aliquam similitudinem ut sic. Sicut autem similitudo ut sic dividitur in similitudinem perfectam seu substantialem, & imperfectam seu intelligibilem tantum; ita etiam intellectus ut sic dividitur in intellectum perfectum seu divinum, & intellectum imperfectum seu creatum; & sicut intellectus imperfectus vi sua, ut species intellectus ut sic, tendit in similitudinem imperfectam & intelligibilem tantum, ita intellectus perfectus vi sua, ut species analogæ intellectus ut sic, tendit in similitudinem perfectam & substantialem.

Inst. juxta solutionem datam. Ideo intellectus divinus est assimilativus in esse substantiali, quia est divinus; atqui similitudo voluntas qua divina est unitiva substantialiter: ergo vel procedens per intellectum non procedit formaliter ut simile & genitum, vel Spiritus procedens per voluntatem procedit etiam formaliter ut similis & genitus: nihil enim tam simile est alteri, quam id quod habet eandem naturam cum illo. R. N. Maj. Non enim dicimus, intellectum divinum esse assimilativum substantialiter præcisè quia est divinus; sed quia, cum sit divinus, est perfectissimus in genere assimilativi, ita ut si non esset divinus, & esset tamen perfectissimus intellectus, foret nihilominus assimilativus substantialiter. At voluntas ex genere suo non est assimilativa, sed ponderativa & inclinativa; non enim vi sua producit terminum sibi vel objecto similem, sed inclinationem & impulsivum in objectum amatum: quod autem iste impulsus sit idem substantialiter cum amante & objecto amato, hoc accidit, non ratione voluntatis formaliter, sed quia iste impulsus, cum sit divinus, est immanens in Deo; quidquid autem est in Deo, Deus est substantialiter.

Urges: Sicut est de ratione intellectus perfectissimæ producee similitudinem perfectissimam, ita est de ratione amoris perfectissimæ producere unionem perfectissimam; atqui unio perfectissima est identitas substantialis, non minus quam similitudo perfectissima: ergo. Minor patet. Prob. Maj. ex ipsomet S. Thom. 1. 2. q. 28. art. 1. ad 2. ubi docet, triplicem unionem esse de ratione amoris, unam, ex qua procedit amor, quæ est unio similitudinis, & hæc est causa amoris; aliam, in qua consistit amor, & est propositio seu impulsus quidam in rem amatam; tertiam, quam exoptat, & si potest, efficit amor, & est unio realis, quam amans querit cum re amata: ergo. R. D. Maj. Est de ratione amoris perfectissimæ producere unionem perfectissimam amatam cum re amata, C. Maj. Et hoc præcisè dicit S. Thom. Unionem perfectissimam ipsius amoris sui impulsus cum amante, aut re amata, N. Maj. Amor enim, seu impulsus, qualescumque sit, nihil est aliud quam via & tendentia ad unionem, non sui ipsius, sed amantis cum amato. Hic autem non est questio de unionem amatam cum re amata, sed de unionem sui similitudinis ipsius amoris, seu impulsus, cum ipso amante, vel objecto amato: non enim Spiritus S. est amans, aut res amata, sed est amor & impulsus amantis in rem amatam. Amantes sunt Pater & Filius, res amata essentia divina, Spiritus S. id, quo amatur. Undè, quod sit unum & idem cum essentia divina amata, non provenit formaliter ex ea, quod sit amor procedens a voluntate, sed ex eo, quod sit actus immanens in Deo, & quod, quidquid est in Deo, sit substantialiter Deus, ut jam dictum est. At verò Verbum, qui est terminus intellectus, quod sit simile objecto intellecto, quod est essentia divina, habet ex ipsa ratione intellectus, qui est secundum se assimilativus.

Obj. 3. cum eodem. Spiritus S. vi processionis formaliter procedit ut similis in natura divina: ergo processio, ejus est generatio, vel processio Verbi non est generatio. Prob. Ant. Spiritus S. vi suæ processionis est Deus: ergo. Prob. Ant. Visuæ

processionis est persona subsistens & divina: ergo R. N. Ant. Ad probat. D. Ant. Spiritus S. vi suæ processionis individualitè spectatè est Deus, C. Ant. vi suæ processionis secundum speciem spectatè, N. Ant. Duplicitè itaque spectari potest processio Spiritus S. 1. Secundum speciem, quatenus est processio per modum voluntatis. 2. Secundum individuum, quatenus est hæc processio, scilicet amoris Deo immanens. Si consideretur processio hæc & individua, Spiritus S. vi illius procedit ut Deus, quia, cum hæc actio individualitè spectatè sit divina & immanens, ita & ejus terminus est divinus, consequenter Deus. At si consideretur processio secundum speciem proè est a voluntate, quæ processio est propria Spiritui S. vi illius sic spectatè, non procedit formaliter ut Deus; quia non procedit formaliter ut similis, cum de ratione voluntatis non sit assimilare, sed id habet aliudè, scilicet quia, ut dictum est, procedit ut aliquid divinum & Deo immanens. Porro, ut processio aliqua sit generatio, non sufficit, quod sit assimilativa identitè; sed secundum individuum spectatè, sed quod sit assimilativa secundum formalem & specificam rationem spectatè, seu, ut alii dicunt, in quarto modo per se, ut fusiùs explicuimus in prænotamine: alias, ut ibidem diximus, Eva producta ex Adæ costa esset genita, & Adæ filia. Et hinc quidam sic distinguunt idem Ant. Spiritus S. formalitè vi suæ processionis procedit ut Deus spiratus, C. Ut Deus genitus. N.

Ad probationem itaque similitè D. Spiritus S. vi suæ processionis in individuo spectatè: est persona subsistens & divina, C. Vi processionis secundum speciem spectatè, seu ut est a voluntate, N. Quod enim sit persona subsistens & divina, non habet formalitè ex eo, quod sit a voluntate, sed ex eo quod sit quid divinum & a voluntate divina. Insuper persona, seu suppositum non est terminus Quæ processionis, sed terminus Quæ, communis omni procedenti in ratione substantiæ; sicut esse existens, seu existentia est terminus communis omni enti: unde nec ex persona seu subsistentia, sicut nec ex existentia, potest sumi ratio formalis & specificæ processionis.

At, quæso, inquit Tournely, quos triumphos non agent Sociniani, cum a nobis audiunt Spiritum S. vi suæ processionis formalitè non habere, ut sit Deo similis, sed identicè tantum, quia in Deo & a Deo procedit? R. id esse fictitium pueris terribulum. Etenim agnoscimus, Spiritum S. esse Deo similem, verè & essentialitè Deum, vi suæ processionis in individuo spectatè, quamvis id non habeat formalitè vi suæ processionis secundum speciem spectatè, & ut præcisè est a voluntate. Quæ, quæso, ratio inde triumphum agendi suppetit Sociniani, sive namque formalitè, sive identicè; sive vi processionis individualitè aut specificè spectatè, sit Deus, est nihilominus verè & essentialitè Deus, non minus quam Pater & Filius: id autem negant capitalitè Sociniani, parum aut nihil curantes, sub qua formalitate procedat ut Deus. Hic sistit Doctor Sorbolicus. Possent tamen plures adhuc fieri instantiæ; sed omittimus, quia eadem solutione solvantur.

Obj. 4. Verbum vi processionis procedit ut intellectum, & non ut intelligens; procedit enim ut terminus intellectus patris: ergo vi processionis non procedit ut similis Patri. R. D. Ant. Verbum vi processionis procedit ut intellectum, & non ut intelligens, nonionalitè, C. Ant. essentialitè, N. Ant. Similitudo autem in natura non attenditur penes notionalem, sed penes essentialia. Undè, sicut in humanis, licet Filius non procedat ut generans, sed ut genitus, procedit tamen similis Patri in natura; ita proportione servata in divinis.

Obj. 5. Verbum procedit ex cognitione, qua Pater cognoscit, non solum naturam divinam; sed etiam creaturas, ut dicimus infra: ergo, si vi processionis per intellectionem procedat ut simile Patri in natura, debet etiam procedere ut simile creaturis in natura, quod est absurdum. R. N. Conseq. Quia Pater non cognoscit creaturas nisi in natura sua & seipso ut in causa; & ideo, cum creaturæ non sint objectum cognitionis ejus, nisi ut in natura divina tanquam in fonte continentur, naturæ suæ dumtaxat & non creaturarum debet producere imaginem.